

DE
IVRIBVS MAIESTATIS
EORVMQVE SPECIEBVS.

DISSERTATIO
IVRIS PVBLICI VNIVERSALIS
QVAM
ILLVSTRIS ICT. ORDINIS AVCTORITATE
IN ALMA ACADEMIA LIPSIENSI
PRO
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
CONSEQVENDIS

DIE XIV. APRILIS, A. O. R. C^I I^D CC LXXXV.

H. L. Q. C.

D E F E N D E T

AVCTOR

CAROLVS HENRICVS A ROEMER
SCHOENBVRGV S.

LIPSIAE,
EX OFFICINA BREITKOPFIA.

H. M. Enslin.

165

SERENISSIMO & CELSTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO
FRANCISCO
ALLEGARIO
DVCI SAXONIAE
IVLIAE, CLIVIAE AC MONTIVM
ANGARIAE ET WESTPHALIAE
S. R. I. ARCHI-MARESCHALLLO
ET ELECTORI
LANDGRAVIO THVRINGIAE, MARCHIONI MISNIAE
SVPERIORIS ET INFERIORIS LVSATIAE, BVRGGRAVIO MAGDEBURGENSI
PRINCIPI COMITI HENNEBERGENSI
CQMITI DE MARCA, RAVENSBERG, BARBT ET HANAV
DYNASTAE IN RAVENSTEIN

DOMINO MEO CLEMENISSIMO.

167
SERENISSIME

AC

CELSISSIME ELECTOR

DOMINE CLEMENTISSIME!

Quamquam bene scio, hanc disserta-
tionem TVI nominis inuiolabi-
lis inscriptione plane esse indignam,
et me debitam TVI venerationem

A 3

laeden-

laudentem videri, quod tam exi-
guum opus tamque leue **TIBI** hu-
millime offeram: **TVA** tamen cle-
mētia et **TVO** in subditos amore
paterno commotus, **TIBI**, SERE-
NISSIMĒ ac CELSISSIMĒ
ELECTOR, has lineas eo confi-
lio deuoui, vt me memorem omnium
beneficiorum, quae mibi vario modo
per omne vitae meae spatium, quae
TVA est clementia verbis non com-
pletēn-

105

*plectenda, tribuisti, deuotissime prae-
starem. Noli igitur, SERENIS-
SIME ELECTOR, oro TE ve-
hementissime atque obedientissime, meae
audaciae irasci; cum non habeam,
quod mibi liceat TVAE clementiae
non satis laudibus extollendae me-
lius ponere monumentum. Sed
Deus ter optimus maximus TE in
TVAE domus SERENISSIMAE
gloriam et in subditorum solamen
incolu-*

*incolumem conseruabit; id quod quo-
tidianis precibus et ardentibus oro,
ad cineres usque permansurus,*

SERENISSIME

AC

CESARISSIME ELECTOR


TVI

*SUBJECTISSIMVS KVMILLIUSQUE
SERVVS
CAROLVS HENRICVS a ROEMER.*

167



DE
IVRIBVS
M A I E S T A T I S
EORVMQVE SPECIEBVS.



I.

Me quidem non fugit, viros celeberrimos de iuribus majestatis disceptavisse, eaque de re tot reliquise volumina ^{a)}, ut haec juris publici universalis doctrina ab his exhausta videatur: attamen negare nequeo, quod mea ex sententia jura majestatis nondum ab omnibus dubiis et controversiis sint remota; id quod ex eo facile colligendum est, quoniam ipsa juris publici universalis disciplina ad Conringii usque tempora plane fere fuit neglecta, et adhuc hodie hanc scientiam profidentes valde inter se discrepant. Praesertim variis utuntur definitionibus atque divisionibus, nec non majestatis jura diverso modo praefiniunt, aut illimitata contendunt. Quae cum ita sint, de his paucis differere apud me constitui.

a) De iuribus majestatis imprimis conferri possunt: ANONYMI *Einleitung zur Lehre von Regalien*; s. l. et a. JOHN BRIDGES *Su-*



premacy of Christian Princes etc. London, 1573. MATTH. BORTIVS *de natura jurium maiestatis*; Ienae, 1614. CHRISTOPH. BE SOLDVS *de maiestate ejusque juribus specialibus; in opere ejus politico*, quod prodiit Argentor. 1642. HERRMANN. CONRING. *in tractatu de maiestate ejusque juribus circa sacra et profana*; Helmstadt, 1669. IOAN. MICHAEL. SCHWIMMER. *tract. de juribus maiestatis*; Witteberg. 1682. CASP. ZIEGLERI *de juribus maiestatis, Exercitationes XV.* Witteb. 1698. GERARD. NOODT. *Orat. de jure summi imperii et lege regia*; Lugd. Batav. 1699. ERNEST. SALOM. CYPRIANI *Diss. de jure regio ad H. Grotivm de jure belli et pacis*, L. I. c. 4. Helmstadt. 1699. CHRISTOPH GEORGE IARCHOWII *Einleitung zu der Lehre von Regalien oder maiestatiischen Rechten eines Regenten; Rostock und Wismar*, 1757. nec non omnes fere *ad jus naturale respicientes libri*,

II.

Omnibus reliquis neglectis, sine dubio determinandum est, quid maiestas sit, et cui competit? Maiestas autem mihi videtur esse complexus jurium regnanti sive regnantibus ^{a)} et populo ^{b)} competentium, a priore, sive prioribus exercendorum ^{c)}. Dominium enim maiestatis utriusque contrahenti proprium esse, ex ipsa pacti inter populum et regnante iniuste natura fluit; etsi in dubium vocari nequeat, quod per pacta fundamentalia regnanti non solum supreniae potestatis exercitium, sed ejus quoque dominium privative concedere populo licitum sit. Quoniam autem jus publicum universale profitentes ^{d)}

inter

inter dominium majestatis, ejusque exercitium non rite distinxere, divisionem in majestatem realem et personalem excogitaverunt, quae tamen fundamento destituitur; uti ex ipsa majestatis definitione satis appetat.

- a) Forma reipublicae non variat majestatis ideam; cum unum idemque sit, utrum majestas per plures, an unam personam exercetur. Regnantes enim semper unam tantum repreäsentant personam moralem.
- b) Populus mihi est omnium civium agmen, quod etiam personam moralem repreäsentat. A populo igitur distinguendi sunt singuli subditi, qui aequalitatis juri renunciavere. Gens vero mea ex sententia, sub se comprehendit regnantem et populum, tanquam civitatis conditores.
- c) GROTIUS *Liber. I. c. III. §. 7.* majestatem describit, *quod sit potestas, cuius actus alterius juri non subsunt, ita, ut alterius voluntatis humanae arbitrio irriti possint reddi.* Si hoc veritate niteratur, quisque homo in statu naturali vivens, majestate gauderet. Melius igitur CASPAR. ZIEGLERVS in tract. de juribus majestatis, *Liber. I. c. I. §. 9.* hac de re sentit, aiens, *majestatem esse supremam potestatem regendi civitatem.*
- d) De majestatis divisione in realem et personalem legi meretur GODOFR. ERNESTI FRITSCHII *Ius publicum universale*, §. 95-99. ubi recte docetur, *H. Grotium per locum supra citatum hujus divisionis erroneae esse auctorem; et si illam verbis expressis non professus sit.*

III.

Majestatis igitur jura sunt media ad finem reipublicae ^{a)} consequendum comparata, quae partim ex libertate naturali, partim ex pactis populum inter et regnante initis profluent ^{b)}. Civitas enim consideranda est α) vel intuitu aliarum gentium, β) vel intuitu sui ipsius. Qua ex re divisio jurium majestatis in transeuntia atque immanentia oritur ^{c)}.

α) Civitatis finem vario modo determinavere jus naturale docentes.

Conf. IVST. HENNING. BOEHMERI *Ius publicum universale*, Part. fp. Libr. I. c. III. §. 3. 4. et 5. Quod ad me attinet, mihi persuasum habeo, quod salus reipublicae ejus finis sit, nisi sit civitas male ordinata,

β) FRITSCHIVS in j. p. u. §. 109. jura majestatica ita definit, *quod sint jura, quae ex potestate civili consequantur*; at jura in gentes liberas neglit, quibus nomen majestaticorum denegat. Sed cum jura majestatis transeuntia ad finem civitatis obtinendum necessario requirantur, et cum a singulis exerceri nequeant, fine dubio ad jura majestatis referenda sunt.

γ) Auctor hujus divisionis est CHRIST. THOMASIVS in *Iurispr. divina*, Libr. III. c. 6. §. 142.

IV.

Vtraque speciali promanant ex fonte. Transeuntia enim ex legibus aequalitatis dijudicanda sunt α). Immanen-

manentia ex pacto oriuntur. Quaevis scilicet gens aequalitate gaudet cum alia gente quacunque, eamque ob rem omnes pari utuntur jure. Subditi autem huic juri renunciavere, et inaequales sunt. Qua ex re facile collimus, jura majestatis immanentia ex pactis civitatis fundamentalibus et ex fine communi deducenda esse.

¹⁰⁷
a) Vti recte monet FRITSCHIVS in I. p. u. §. 112 et 113. et BOEHMERVS I. c. P. sp. Libr. II. c. 1. §. 4.

V.

Cum vero status gentis erga gentes vel pacificus vel bellicosus sit; procul dubio jura majestatis transeuntia vel ad jus belli, vel ad jus pacis respiciunt. Cuique enim regnanti bellum parandi licentia est, si alio modo finem civitatis consequi nequit. Qui autem jure belli gaudet, eum omnia quoque media ad finem belli obtinendum adhibere oportet, quae quidem vel a subditis ^{a)} vel ab hostibus exiguntur. Sed omnia ea, quae regnanti in subditos respectu belli cum exteris gentibus adscribuntur, atque competunt, transeuntibus eam ob rem adnumerari non debent, quoniam ex pacto, neutquam ex legibus aequalitatis profiscuntur. Igitur et ad jus belli, tanquam majestatis transiens omnia ea,

B 3

quae

quae regnanti in hostem, utpote laedentem, licita sunt,
referuntur.

a) Subdit autem, ut ex sequentibus elucebit, non solum bona sua
ad belli onera sustinenda civitati cedere, sed etiam castra sequi
obligati sunt.

VI.

Bellum autem recte regnans erga quemcunque ma-
jestatem laedentem, finemque civitatis turbantem indicit,
tamdiuque gerit, quam ei et populo non satisfit, et salus
reipublicae permittit et postulat ^{a)}. Satisfactione autem
impertrata a bello abstinentia est ^{b)}. Ad illam acqui-
rendam laesus omnibus idoneis mediis jure utitur.
Quid? quod ei jus necis contra laedentem ac satisfactionem
denegantem et armatum omnino competit, si illi
alio modo satisficeri nequit ^{c)}. Quis itaque in dubium
vocare audeat, quod regnans bellum gerens jure hostes
in captivitatem abducendi, in vincula conjiciendi, in ser-
vitutem et metalla damnandi, de eorum bonis occupatis
disponendi, fortalitia destruendi, nec non jure vestigalia
et tributa exigendi gaudeat ^{d)}? Ad jus belli enim omnia
referuntur media, quibus laesus contra laedentem ad fa-
tisfactionem consequendam utitur ^{e)}.

a) PVFFENDORFIUS de officiis hominis et civis Libr. II. c. XVI. s. r.
recte monet, prudentiam et humanitatem suadere, ne ad arma
equius,

+ + + + +

eamus, ubi ex injuriarum nostrarum persecutione plus mali in nos nostrosque, quam boni sit redundaturum.

- b) Hoc jam CICERO *Libr. I. de officiis* nos docuit, his verbis usus; *suscipienda bella sunt eam ob causam, ut sine injuria in pace vivatur.*
- c) Cf. GRIEBNERI *principia jurisprud. natur. Libr. III. c. IX.*
§. 1. s^on.
- d) Pa^{ci}a tamen durante bello cum hoste inita violare non licitum est, quoniam pacientes intuitu talis pa^{ci}a effectus belli suspendunt.
- e) *Ius belli* sub se comprehendit repressalias, tanquam speciem, de quibus conf. GOTHOFR. de PESCHWITZ *Dissert. Ien. 1661.*

VII.

Altera jurium majestatis transeuntium species ad pacem pangendam et omnia alia foedera spectat, quibus pax vel restauratur, vel firmatur, et finis civitatis obtinetur atque promovetur; Quam ob rem et regnantem ejusque successores et populum obligant, et nullo modo sunt violanda. Cum vero pa^{ci}a gentium vel ab ipsis regnantiibus vel per mandatarios ineantur, posterioresque intuitu gentis, quae eos admisit, jure libertatis et aequalitatis utantur; ad jus foederum quoque jus legatum^{a)}, tanquam species subordinata refertur.

a) Iuris



a) Iuris legationum effectus potissimum in eo consistunt, ut regnanti
liceat, legatos gentium admittere, vel repudiare, nec non suas
ad alias gentes, si quidem hae velint admittere, suo et populi
fui nomine mittere, eosque charactere repraesentatio ornare.
Cf. *Baronis a PACASSI Einleitung in die sämtlichen Gesellschafts-*
Rechte; Wien, 1777.

VIII.

Progradimur nunc ad immanentia majestatis jura,
quae, uti jam supra dictum, ex pacto populi cum regnante
inito promanant. Populus enim cum principe de re-
genda et conservanda civitate pactus, huic, nisi aliud
conventum sit, illimitatum commisit exercitium omnium
majestatis jurium ^{a)}, quae ad finem civitatis consequen-
dum spectant. Pactis igitur fundamentalibus deficienti-
bus regula juris publici universalis obtinet, quod regnanti
omne id competit, quod finis civitatis, nimurum pax et
salus populi, postulat ^{b)}.

a) Iura majestatis limitantur α) vel per leges juris naturalis, β) vel
per pacta sive tacita, sive expressa. Limitatio juris naturalis unice
in eo consistit, ne haec jura ita exerceantur, ut a fine civitatis
aberretur.

b) Igitur sunt, qui putant, regnante in statu collisivo et si finis
civitatis alio modo obtineret nequit, ad media alias illicita conso-
gere oportere.

IX. Im-

IX.

Immanentia autem summae potestatis jura sub se comprehendunt omnia jura de personis et rebus subiectis ita disponendi, ut finis civitatis consequatur. Intuitu personarum regnans quodammodo 1) de subditorum corporibus, 2) fama, et 3) juribus pacitatis corpus et famam respicientibus, intuitu rerum autem, 1) de eorum bonis, 2) de bonis per territorium transeuntibus, 3) de rebus nondum occupatis et derelictis, et 4) de juribus res affluentibus disponere potest.

X.

Ius principis in subditorum corpora vario se exserit modo. Omnes enim eorum actiones, libero alias cu-jusque arbitrio relietas, in salutem civitatis dirigere, jubere vel prohibere potest; nec non ei licitum est, si opus, molestias adeo corporibus subditorum infligere; qua ex re jus vitae et necis vulgo deducitur. Sed mihi quidem persuadere non possum, regnanti secundum juris publici universalis principia jus subditos vita privandi, esse ²⁾; cum omnia imperantis jura in subditos ex pacto cum populo initio profluant, huic autem non competit, de singulorum vita pacisci. Qui enim de suo interitu disponit, et suum et civitatis finem tollit, pluraque jura in alterum transferre audet, quam ipse habet; siquidem

C

solus

+ + + + +

folus Deus vitae auctor atque gubernator existit ^{b)}. Quae cum ita sint, regnanti jus vitae et necis in subditos, nisi in statu collisivo, ubi civitatis finis aliter obtineri nequit, non tribuendum videtur; quod etiam de poenis corporis adflictivis censendum est; quia jus maiestatis poenas subditis irrogandi eo tantum consilio regnanti a populo demandatur, ut salutem civitatis conservet atque stabiliat. Quo magis igitur delictum aliquod finem civitatis turbat; eo majori poena afficiendus est delinquens ^{c)}.

a) Cf. H. GROTIUS *de I. B. et P. L.* II. c. XVII. §. 2. *Naturā, ajens, homini suum est vita, non quidem ad perdendum, sed ad cuiusbodiendum.*

b) Studuit quidem CAROLVS GOTTLOB ROESSIG in *Dissert. praeſide BREVNINGIO Lipsiae, 1774.* *defensa* jus vitae et necis principibus vindicare, ea potissimum ratione, quoniam singuli jus ulciscendi in summum imperantem transtulissent. Sed fols deo ultio competit; hominibus vero tantum permisum est, reparationem damni per bellum quaerere, si alio modo iis satisfieri nequit.

c) Recte monet BOEHMERVS, in *I. P. U. Part. sp. Libr. II. c. VIII. §. 21.* *Delicta non alia punienda esse, quam, quibus laeditur tranquillitas reipublicae. Poenae enim media sunt conservandi tranquillitatem rei publicae.*

XI.

Quod vero ad subditorum famam existimationemque attinet, principi potestas eam determinandi nullo modo deneganda est, cum hominibus in statu naturali viventibus de fama ex eaque promanantibus juribus pacisci liceat^{a)} et regnanti omnia a populo tribuantur jura, de quibus deus in statu naturali pacta inire, hominibus permisit.

a) vid. MICH. HENRICI GRIEBNERI *Diss. de jure principum Imperii restituendi famam*, §. 2.

XII.

Quo ex asserto facile collendum est, non minori potestate regnantem respectu omnium jurium a subditis per pacta adquisitorum sive personas, sive res concorrentium uti, praesertim, cum haec jura in relatione ad finem civitatis ab imperante bene observanda sint, ne saluti reipublicae obstent. Id quod in primis de societatis et collegiis in civitate existentibus contendendum est, quorum pacta et jura regnantis cognitioni et dispositioni procul dubio ita subjiciuntur, ut ab illo tollantur, minuantur, atque augeantur, quoniam finis talium societatum finem civitatis facile impedire potest.



Ad jura majestatis circa res immanentia refertur dominium eminens ^{a)}, quod versatur, α) circa bona subditorum, β) circa bona territorium transeuntia, γ) et circa res derelictas, et ronduum occupatas, quae vulgo *adēσποτα* vocantur. Dominium enim eminens mihi videtur jus majestatis de rebus in civitate existentibus in salutem civitatis disponendi ^{b)}.

a) Cum controversia inter HORNIVM et LEYSERVVM, de dominio eminente orta magis verbis, quam re nitatur; mihi de illa tacendum est.

b) H. GROTIUS de I. B. et P. Libr. I. c. III. §. 6. dominium eminens vocat jus, quod civitas habet in cives et res civium in usum publicum.

Bona subditorum vel singulorum vel pluribus omnibusve communia, et partim ad sacrum, partim ad profanum usum destinata sunt. Sed hoc non variat jus imperantis ^{a)}, qui de eorum acquisitione et amissione, de eorum usu ^{b)}, de tributis et vectigalibus ab illis praestandis, nec non de dominii effectibus leges fert, quid? quod ipsa bona in reipublicae necessitatem subditis admere potest ^{c)}.

a) Quod

a) Quod ad res ad cultum divinum destinatas attinet, conf. IOAN.
FR. RHETII *Instit. juris publici, Witteb.* 1698. Libr. I. tit. 2.
§. 100.

- b) *Expedit enim reipublicae, ne sua re quis male utatur, uti recte
ait IVSTINIANVS §. 2. I. de his, qui sui vel alieni juris sunt.*
- c) De dominii eminentis effectibus vid. PVFFENDORF. *de O. H. et C.*
c. XIV. ibique ejus commentatores.

XV.

Contra ea principi non licet, de domino bonorum, quae in dominio alienigenae existunt, et territorium transfeunt, disponere ^{a)}, nisi dominus hostis sit, vel hosti per illas res auxilium praebeat, vel invito regnante in territorium invexerit, vel tributa et vectigalia bonorum transfeuntium non pependerit, vel alio modo per illa finem civitatis turbaverit. Si hoc non factum est, regnanti tantum jus bonis extraneis quaedam vectigalia imponendi eam ob rem competit, quoniam humanitatis est, bonis alienis transitum permittere. Bona igitur sua per alterius territorium transvehens pactum tacitum cum regnante init, vi cuius tributa his bonis imposta solvere promittit, eo consilio, ut illa transire finat imperans, eisque securitatem praeferet publicam.

- a) Imperans tamen lege jubere potest, ne cui bona per territorium transvehere liccat, nisi regnanti de dominio disponendi potestatem



concedere velit. Quo facto omnia bona transeuntia non solum quoad vcligalia, sed etiam quoad dominium et jurisdictionem, imperantis dispositioni subsunt.

XVI.

Circa *αδέσποτα*^{a)} quidem certo certius est, regnante de iis vel occupandis vel in statu naturali relinquendis, de eorum usu et dominio optimo jure praecipere; hoc tamen mihi dubium videtur, an bene faciat, qui eorum dominium soli fisco suo adjudicat, atque haec bona civitati detrahit.

a) Huc referuntur venatio, sylvae, mineralia, thesauri, flumina, etc.

XVII.

Quod autem omnia haec majestatis jura solus imperii exercitor sine officialium et ministrorum auxilio administrare nequeat, facile appareat^{a).} Quam ob rem necessitate premitur, officia publica instituere, illisque certas jurium majestatis species committere, earumque administrationem demandare. Quamquam enim regnanti dominium majestatis privative (§. II.) non debatur, illique tantum summae potestatis exercitium tribendum esse videatur; tamen in dubium vocari non potest, regnante facultate exercitium majestatis, ejusque jurium uni pluribusve, vel ex toto vel pro parte

ad

ad dies vitae cedendi gaudere; nisi hujus rei limitatio^a in
pac^btis fundamentalibus existat. In statu enim aequali-
tatis nemo prohibetur, jura sua in alterum transferre.
Quam quoque ob rem certo certius est, exercitium ma-
jestatis dividii posse ^b).

a) VELLEIVS PATERC. Libr. II. c. 127 recte ait, *quod magna ne-
gotia magnis adjutoribus egaunt.*

b) Cf. GOTTLIEB SAM. TREVER *ad PVFFENDORF. de O. H. et C.*
Libr. II. cap. VII. §. 9.

XVIII.

Etsi vero principi, uti ex antecedentibus patet,
quoddam jus in omnes subditorum actiones morales est;
ei tamen non competere potest jus in eorum bona intel-
lectualia, quoniam intellectus non legibus arbitriis, sed
rationibus regitur atque convincitur. Igitur regnans
subditis dogmata religionis obtrudere nequit; et si ei po-
testas leges de cultu dei externo et de dogmatibus pu-
blice non profitendis ferendi non deneganda sit ^a). Quo
quidem jure utitur tanquam regnans, et neutiquam ne-
cessaria est, ut ei summi episcopi officium tribuatur ^b).

a) Regnantis enim est, cultum divinum externum ita dirigere, ne
in civitatis detrimentum vertatur.

b) Hac



b) Hac de re allegare sufficiat TREVER. ad PVFFENDORF. de O.
H. et C. Libr. II. c. VII. §. 8. qui recte contendit, *jus circa sacra
et religionem ex principiis jure supremae inspectionis in quasvis so-
cietates et quaevis civium collegia deducendum esse.*

XIX.

Ex his omnibus facile apparet, quod principi, nisi per pacta fundamentalia ejus potestas limitibus circumscripta sit, secundum juris publici universalis principia omnes subditorum actiones externas, exceptis iis, quibus resistere natura prohibuit, in usum civitatis et salutem dirigendi atque prohibendi jus sit; id quod ex eo in primis apparet, quia singulis subditis in actionum regnantis justitiam inquirere de illisque judicium ferre, non licet, principi autem nil competit, quod non ad finem et usum civitatis consequendum spectat, praesertim cum regnans legibus naturalibus ligetur ^{a)}.

a) Plerique imperantibus adscribunt potestatem plane illimitatam, e. g. NICOLAVS MACHIAVELLVS, HOVTVYNVS, HOBBESIVS in libro: *de cive*, inscripto, cap. VI. §. 12. *altique*, sed falsis nituntur argumentis. Regnans enim cum populo de regenda civitate pactus, eo ipso se obligat ad salutem publicam augendam atque conservandam; quoniam salus publica finis utriusque contrahentis est. Si jurium maiestatis exercitio ad alium finem obtinendum abutitur regnans, procul dubio pacta cum populo vel expresse vel tacite inita violat; id quod tamen subditis non tribuit jus resistendi

sistendi, quoniam libertati naturali renunciavere. Qua de re bene sentit Noodt^t in *Orat. de jure summi imperii et lege regia, quae prodiit Lugd. Batav. 1705* ubi ait: *Liberum habet arbitrium, qui nullis includitur finibus, nec tamen patitur humani ratio consilii, ut jus proibi, sceleris, ac flagitiis princeps accepisse eo exifiatur, quod de eo bene speravit populus, qui eum quasi virum bonum, publicae privataeque utilitatis disceptatorem elegit, nec opus esse putavit, quem tanta, tamque libera potestate ornabat, pacis adfringi ad id, quod ultiro facturus videbatur. Magis populus cum non expressis ac differtis verbis ei infrenatam dedit potestatem, tacite pacis videtur, ut, quam habet princeps, non ad suam libidinem, sed ad naturae legem componat.*

XX.

Quoniam igitur omnis de juribus majestatis doctrina ad tam pauca redigi potest principia; non intelligo, cur ius publicum universale profitentes eam multis inadaequatis divisionibus et distinctionibus maculaverint. Imprimis varias excogitaverunt divisiones, quae omni destituuntur divisionis fundamento.

XXI.

Hujus rei testimonium est divisio iurium majestatis in generalia et specialia ^{a)}, quae nil aliud significat, quam quod iura majestatis partim species coordinatas, partim subordinatas in se comprehendunt. Fateor enim luben-

D

ter,

XXVI

ter, mihi usum hujus divisionis latere, eamque ob rem
mihi rejiciendam esse videri.

- a) Inter reliquos hanc divisionem fovent SCHEIDEMANTEL,
SCHLETTWEIN, aliquie. PÜTERVS in *Infl. jur. publ. Germ.*
Liber. VI. c. I. contendit, quod supremi regiminiis jura specialia ea
sint, quae singulari cuidam objecto adligata sunt; generalia, quae
non ita unico objecto adstricta sunt. Sed quis non videt, hanc di-
visionem principiis logices non convenire.

XXII.

Divisio in regalia essentialia et accidentalia ^{a)} me-
liori fundamento non nititur; quoniam ad finem civi-
tatis obtinendum omnia majestatis jura requiruntur, ne-
que ullo eorum, quod quidem ad hunc finem tendat,
regnans carere potest.

- a) vid. GEORG. HAEVSER. *Diss. de distinct. regalium inter acci-
dentalia et essentialia.*

XXIII.

Nec magis mihi arridet divisio in majora et mi-
nora, quam jam CHRIST. THOMASIVS ^{a)} rejecit;
quia divisionis fundamento caret. Majora enim vo-
cant illa, quae salutem publicam tuentur; minora,
quae

XXVII

quae maxime fisci utilitatem spectant^{b)}. Sed nonne omnia majestatis jura media ad rempublicam tuendam, finemque ejus consequendum esse debeant? Fiscus autem num ad finem civitatis referri queat, dubium est.

a) *Ad HVBER. Libr. II. Sect. III. c. 6. §. 3, litt. x.*

b) Cf. ARNISAEI *de jur. maj.* Libr. II. c. I. MICHAEL HENRICVS GRIEBNER *in princ. jurispr. naturalis*, Libr. II. c. III. §. 1. *not. 2* minora summae potestatis jura dicit, quibus majestas carere potest. At majestas nullis juribus carere aut privari potest, quae ad finem civitatis adipiscendum compara- rata sunt.

XXIV.

Illis autem, qui divisionem in sacra et profana excogitavere, eam ob causam quidem ignoscendum est, quoniam dividendi fundamentum in variis cuiusvis civitatis subjectis quaesivere, sed ea tamen ideo non admittenda videtur, quod appareat, jus circa sacra esse speciem juris supremae inspectionis subordinatam^{a)}, ideoque a profanis, tanquam a genere coordinato distingui non posse.

a) Hoc jam monitum est §. XVIII. *not. b.*

XXV.

XXVIII

XXV.

Plures jurium majestatis divisiones inutiles ac inad-
aequatas proferre possem, nisi me tempus nimis an-
gustum et negotia non differenda premerent. Quam
ob rem mihi ignoscendum erit, si quid omisi, quod
mihi adhuc dicendum esset; praesertim cum hoc argu-
mentum adeo diffusum sit, ut tam paucis plagulis con-
tineri nequeat. Sed fortassis alio tempore, quae sunt
reliqua hujus doctrinae, ex mea sententia publico eru-
ditorum examini subjiciam.

Leipzig, Diss., 1785 R-2

X 241 7854





DE
IVRIBVS MAIESTATIS
EORVMQVE SPECIEBVS.

DISSE^TRAT^IO
IVRIS PVBLICI VNIVERSALIS

QVAM
ILLVSTRIS ICT. ORDINIS AVCTORITATE
IN ALMA ACADEMIA LIPSIENSI

PRO
SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
CONSEQUENDIS

DIE XIV. APRILIS, A. O. R. C¹ D¹ I^o CC LXXXV.

H. L. Q. C.

D E F E N D E T

A V C T O R

CAROLVS HENR^{IC}V^S A ROEMER
SCHOENBURGV^S.

LIPSIAE,
EX OFFICINA BREITKOPFIA.

F. M. Eschen